





No. 103.

B. N.  
19.





De  
*Obstetricum Erroribus*  
 a  
*Medico Forensi pervestigandis*  
 Consensu

*Gratiosè Facustus Medice Lipsiensis*  
 d. 30. Sept. 1729.  
 h. l. g. e.

*Pro loco*  
*disputabit*  
*Caspar Bose*  
*Phil. et Med. D.*  
*Respondente*  
*M. Georgio Matthia Bose.*





De Officiis et Virtutibus  
a M. J. Forster



Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page.







## De Obstetricum erroribus a Medico Forensi peruesti- gandis.

### §. I.

**E**quidem quod Medici Clinici, in salutem in- *De Medici*  
crementi reipublicae vigili cura solertique *forensis*  
studio incumbentis, officium postulabat, pri- *auctorita-*  
ori in dissertatione me praestitisse confido, qua *te.*  
obstetricum manus inconditas, in embryo-  
num aequae ac parturientium viscera saevien-  
tes, examini subiiciebam. At vero quam  
desideratus ille labor fuerit iis, in quarum  
gratiam est susceptus, id quidem in praesenti non lubet investiga-  
re, cum fortassis et obstetrices, si genuina debeant animi expri-  
mere sensa, ea monitoribus suis acclamarent, quae de *Argide,*  
insigne ex erroribus suis delectamentum percipiente, et graviter  
admodum ferente medelam, refert HORATIVS: (a)

A 2

Hic

(a) Epistolar. l. ib. 2. epist. 2. v. 136. seqq.



## De Obstetricum erroribus

Hic ubi cognatorum opibus curisque refectus,  
Expulit belleboro morbum, bilemque meraco,  
Et redit ad sese: Pol! me occidistis amici  
Non servastis (ait.) cui sic extorta voluptas,  
Et demtus per vim mentis gratissimus error.

Nec tamen adeo magna animum meum occupat sollicitudo circa laborum meorum fructus, nec turpe ducendum Medico, cum continuo recrudescente obstetriciorum errorum turba pugnam inani iniisse conatu, ad suos mores ingeniumque suum obstetricibus propediem redituris.

Σαύρον τὸν ἀρχὸν εἰ τεμὴν διασπάσσης  
ἀερίερα τῶν τὰς τομαῖς ἔρω πέδιλον  
εἰὼν σαφῶς δὲ τῶν μερῶν αἱ συνδέσεις.

Si pallidum diviseris lacertum dissecans,  
Praesecta coalescit iterum pars utraque,  
Nec partium fugit oculos coniunctio. (b)

Neglectis itaque difficultatibus cunctis, quae animum poterant perturbare, nunc proferre ulterius pedem, ac iure meo privatis obstetricum erroribus publicos et in foro commissos subnectere induxi in animum, officio nimirum incitatus peculiari, quo Forenses praesertim Medici ad edocendos de rerum naturalium nexu Iudices, adeoque ad suscipiendum veritatis et iustitiae patrocinium obligantur. Sic sane amicabili lege firmissimoque agnationis vinculo *Numa Pompilius* cum *Hippocrate*, *Forum* cum *Medicina* conspirat, id quod *B. M. AMMANNVS* (c) in *Irenico Numae Pompilii* eum *Hippocrate* egregie admodum declaravit. Quanta enim sit  
Medi-

(b) PHILE versus iambici de animalium proprietate cum Auctario IOA-  
THIMI CAMERARII eodem metro versus latinorum exposita a GREGOR.  
BERSMANO. Lipf. 1575. 4. p. 106. seq.

(c) PAUL. AMNANNI *Irenicum Numae Pompilii cum Hippocrate*, quo veterum Medicorum et Philosophorum hypotheses in corpus iuris civilis pa-  
rtiter ac canonici haecenus transumptae a praeconceptis opinionibus vindican-  
tur, ac quaestiones propositae ex ipsis Legum textibus et variis Respon-  
sionibus Medicae Lipsiensis illustrantur. Francof. & Lipf. 1689. 8. De Medi-  
cinae



Medicorum auctoritas in foro, dum placita eorundem ad aequum de cauſis ferendum iudicium requiruntur, id proſecto Pandectae medico-legales, et has inter illud cumprimis caput, quod de Medici, rerum obſtrictiarum periti, officiis coram iudice eſt inſcriptum, luculentis utique argumentis demonſtrat. Quam ardua itaque ſint ac valida Medicorum decreta, quantumque pondus rite praefita cauſis forenſibus addant, praefentes utique paginae demonſtrabunt, quae, poſtquam diſſertatio praecedens Medicum exhibuerat *περὶ τῶν γυναικῶν τέκνης καὶ λοχίας μόνον ἐπιτετιμῶνα τῆς μαειευτικῆς, ſolum peritum artis obſtricticiae, quae ad naſcentium partus foetusque perinet,* (d) eundem nunc ſiſtunt,

βελιφόρον ἀνδρα,

ὃ λαοὶ τ' ἐπιτετράφαται καὶ τόσσα μέμλε, (e)

tanquam conſiliarium virum, cui populus eſt commiſſus et tanta ſunt curae. Iam vero cum ad praefantiffimum hocce negotium non quodlibet ſufficiat Medici nomen, tria potiſſimum, doctrina, experientia ac religio illum, cui familiaria obſervantur, tanquam egregiam et punctis omnibus abſolutum exhibent adminiſtrationem Medicinae forenſis. His enim qui inſtructus eſt ornamentis, egregiam proſecto famam et in foro ſibi comparare valebit, cum non poſſit non quavis occaſione peritum ſe gerere, ſagacem, induſtrium ac talem, cui in arte ſua ſumma ſit adhibenda fides, nec ullo propemodum pacto in re qualibet forenſi deroganda auctoritas, imo et talem, qui tum ob vitam, tum iura partus vindicata

Laurea donandus Apollinari. (f)

A 3

§. II. Atta-

cinæ et Iuriſprudentiae conſenſu conferri adhuc meretur TH. BARTHOLINI epiſt. ad CASP. THVRMANNVM Iureconſultum Lubecenſem, quae extat apud THEOPHIL. BONETVM in Medicinae Septentrionalis collatiuae Genev. 1686. fol. Lib. VIII. Part. I. c. 2. p. 614. ſeqq.

(d) PLATO in Politico, editionis operum eiufdem Marſilio Ficino interprete Francof. 1602. fol. p. 535. B.

(e) HOMERVS Iliad. β. v. 24. ſeq.

(f) HORATIVS, Carminum Lib. 4. ode 2. v. 9.

(g) Idem



## §. II.

De ob-  
stetricum iu-  
re testimo-  
nium exhibi-  
bendi in  
foro, ea-  
rundem-  
que impe-  
ritia.

Attamen nostra hac aetate illa legum observatur conditio, ut eae potissimum quaestiones, quas uterus interdum movet in foro, non ad Medicum, sed potius ad eius famulam deferantur, et ea, quae a perito imprimis Medico exactius poterant explorari, obstetricum submittantur iudicio. Sic igitur nubem amplectuntur pro Iunone, et ex longinquo petunt, quae propius extant, cum tam men multum interfit,

*Davusne loquatur, an Heros, g)*

nec parum referat,

*a fonte bibatur,*

*Qui fluit, an pigro, quae super unda lacu. (b)*

Verum hic consuetudini aliquid concedendum esse videtur, nec temere immutandi, qui communi suffragio, legumque auctoritatibus, longo confirmatis annorum usu, enati sunt, mores, cum et hac in re, a solo legislatoris arbitrio dependente, verba valeant *IUVENALIS: (i)*

*Hoc volo, sic iubeo, sit pro ratione voluntas.*

Admittantur ideoque obstetrices in foro, et iudicium de rebus suae artis deponant, praesertim cum leges patentem ac liberum aditum ipsis concedant, sed tales omnino admittantur, quales ab ipsis legibus requiruntur, tales nimirum, quae exacta artis suae notitia sunt instructae, quibus certe, si, exigente iudice, de scientia sua ex rei dignitate ferant iudicium, nec nos fidem debitam derogamus, cum et ipsum *Hippocratem* in explicanda de partu septimestri doctrina ad obstetricum provocasse iudicium deprehendamus. (k) At enim vero, si cuiuscunque demum obstetricis testimonium, inscio prorsus ac inconsulto Medico, omni exceptione maius a iudice

(g) Idem de arte poetica ad Pison. v. 114.

(b) MARTIALIS epigrammatum Lib. 9. epigrammate 102.

(i) IUVENALIS Satyra 6. v. 222.

(k) HIPPOCRATES de septimestri: *καὶ δὲ ἐν ἀπισίᾳ τῆς γυναικὸς περὶ τῶν τῶν*  
*Mulieribus de partibus fidem derogare non oportet.* Sect. 2. Operum eiusdem a Ioh. Antonid. van der Linden editorum Lugd. Bat. 1665. 8. Tom. I. Lib. 13. p. 169.

(l) VIR-



ce habeatur, tunc quidem legum praefules floribus austrum, imo et apros liquidis fontibus immittunt:

*Eheu, quid volui misero mihi? floribus austrum  
Perditus, et liquidis immisi fontibus apros. (l)*

Namque si ex iure canonico iudicium quoddam de obstetricibus desumamus, id quidem quotidianae experientiae non contradicit, qua constat, oculos aequae, ac manus earundem saepissime falli, adeo, ut testimonia veritatis, quae ab amiculis expetuntur in foro, vere Sibyllina observentur, seu ea, quae a MARONE (m) verbis frequentibus describuntur:

*Talibus ex adyto dictis Cumaea Sibylla  
Horrendas canit ambages, antroque remugit  
Obscuris vera involvens.*

Profecto et his nostris terris nostroque seculo quam optime poterunt accommodari, quae suo iam tempore HORATIVUS AVGENIVS (n) de obstetricibus suae patriae pronunciauit: *Hoc unum profiteor, eiusmodi, id est, quarum fidei standum sit in iudicio, non reperiri obstetrices nostra aetate praesertim vero in Italia, ac omnium minime in hac Pedemontana regione, in qua rudes quaedam mulierculae omnium rerum ignarissimae hanc faciunt artem. Deberent saltem incumbere dissectioni corporum, aut huius tantum habere notitiam, quantum illarum postulat officium. Propterea Hispani cogunt obstetrices interesse, cum secantur corpora, quae res ubique deberet observari. Nullam igitur his ego fidem adhibendam censeo, probatis autem doctis et expertis maximam. At vero si probata quaedam docta et experta in conspectum prodiret, raram hanc in his terris avem nigroque fumillimam cygno nominarem:*

*Apparent rari nantes in gurgite vasto. (o)*

Nam-

(l) VIRGILIUS Eclog. 2. v. 58. seq.

(m) Aeneidos Lib. 6. v. 98. seqq.

(n) Epistolar. et Consultation. Medicinal. Francof. 1597. fol. Tom. II. Lib. I. c. 12. p. 337. seqq.

(o) VIRGILIUS Aeneidos Lib. I. v. 118.

(p) OVI-



Namque si nostras animo perlustremus artis obstetricandi minifras, pleraeque earundem ita sunt comparatae, ut faciliori conatu herculi clavam excutere quis posset, vel citius ex pumice exprimeret aquam, quam aptum valeret obstetricibus de rebus suae artis extorquere iudicium, cum eae, sicut in umbra domestica ad parturientium fellas coecutiunt, ita et pro tribunali tanquam in ipso lumine graviter admodum hallucinentur. Huius itaque generis obstetrix ac talis *immemor ambagum vates obscura suarum* (p) suscepto huic labori suppeditat argumentum, nec inanem prorsus ac supervacaneam me praestitutum esse operam puto, si dicaculo huic hominum generi, quod connivente lege aliquam dicendi libertatem accepit, verba HOMERI, (q) qua potest fieri ratione commendem:

Σιγα, καὶ κατὰ σὸν νόον ἴχθαι,

Tace et animum tuum cela,

vel demum linguam earundem, cuius alioquin impotentes sunt obstetrices, ad rei necessitatem et veritatis indolem componam. Etenim vix unquam sufficienter poterit explicari, quot modis in praeceptis rapiatur improba obstetricum lingua, ac quanta fit labes, quam Medicorum famae hac ratione aspergunt, cum ea, quae ab iisdem incongrue proferuntur, consciis dicta esse Medicis ab exteris aestimentur. Hinc,

*etsi nullum memorabile nomen*

*Foeminea in poena est, nec habet victoria laudem;*

*Extinxisse nefas tamen, et fuisse merentis*

*Laudabor poenas, animumque explese iuvabit. r)*

### §. III.

*De genuinis obstetricum in foro versantium requisitis.*

Priusquam vero ad grave illud, quod tractandum suscepi negotium, faciam progressum, genuinam animo meo sistere liceat faciem obstetricum, quae in foro versantes aliqua valent ad testimonium deponendum auctoritate, ut demum contrariis iuxta se positis eo clarius eluceat, quibuscum in praesenti agendum sit mihi,

(p) OVIDIUS Metamorphos. Lib. 7. v. 761.

(q) Odyss. τ. v. 42.

(r) VIR-



mihî, ac quales nunc ex instituto sint explicandi errores. Cum igitur id omne, quod valorem ab ipsis legibus concessum conciliat obstetrici, a Medicorum proficitur doctrina, hinc quoque sedulo a Medicis eo attendendum esse videtur, ut examine praevio iis praesertim obstetricum munus adiudicetur, quae aptum ferendo de rebus artis suae iudicium data occasione dilucidis testimoniis veritatem valeant suffulcire, cum et hoc in negotio locum inueniat monitum *Horatianum*: (s)

*Qualem commendes etiam atque etiam adspice, ne mox  
Incuriant aliena tibi peccata pudorem.*

Quodsi itaque forensẽ aliquam obstetricem, cui coram iudicio adhibenda sit fides animo tantummodo contemplerur, ante omnia ad sufficientem muliebrium rerum notitiam respicere fas est, quae obstetrici, si ad deponenda de muliebribus testimonia a iudice requiratur, omnem comparabit auctoritatem. Quantumvis enim arti obstetriciae manuali cum theoretica non obscurum intercedat discrimen, nil tamen impedit, quo minus eiusmodi obstetrici, quae ad ductum prioris meae dissertationis in iis omnibus, quae ad uterum aliqua pertinent ratione, probe admodum est versata, debitum et in foro adiudicemus valorem. Proinde si requisita obstetricis in foro versantis debeant recenseri, talis omnino theoria primo omnium loco erit collocanda, quae iam antea, tanquam ad manum obstetriciam rite adhibendam necessaria, poterat desiderari, ea scilicet, quae exactam artis notitiam, accuratam uteri et adiacentium partium anatomiam, eiusdemque ac embryonis, ante partum et in eodem versantis, physiologiam aequè ac pathologiam perspectissimam comprehendit. Huic profecto doctrinae si manus exercitatissima adiungatur, et memoria accedat eorum, quae chirurgica quadam operatione fuerint instituta, utpote de quibus et aliquando quaestio movetur in foro, tunc quidem perfectam omnibus ex partibus formavimus obstetricem, quam tum ab erroribus superius castigatis immunem, tum deponendis  
B  
coram

(s) VIRGILIUS Aeneidos Lib. 2. v. 583. seqq.

(t) HORATIVUS epistolarum Lib. I. epist. 18. v. 76. seqq.

(r) IVVE-



coram iudicio testimoniis aptissimam pronunciamus. At vero quanta hic observatur infrequentia?

*numerus vix est totidem, quot*

*Thebarum portae vel divitis ostia Nili. (t)*

Equidem si nostra tempora exactius paulo consideremus, nulla propemodum ratione adminiculorum defectus poterit accusari, qui obfit, quo minus et nostrae aetatis mulieres, quae Medicae nominari mallent, quam obstetrices, ad aliquam eruditionis famam adspirent, cum tamen prisca temporibus non adeo rara extiterint foeminarum exempla, quae egregium sibi in arte medica compararunt splendorem. Quod si enim veterum auctorum scripta in gratiam huiusrei evolvamur, varia omnino mulierum medicarum aequae ac muliebrum peritia conspicuarum nomina occurrunt, quae veritatem asserti fati superque reddunt manifestam, cum non tantum AETIVS (u) *Aspasiae* cuiusdam memoriam celebret, sed et OVIDIVS (v) *Ocyroen* aliquam adducat, imo et HIPPOCRATES in iuramento suo (x) *Hygieae* et *Panaceae*, filiarum *Aesculapii* iniiciat mentionem, PLATO (y) *Pbaenaretam* producat, *Agnodicen* cum laude recenscat HYGINVS, (z) *Polydamnam* exhibeat HOMERVS, (aa) ac plurium adhuc PLINIVS (bb) hinc inde memoriam commendet. Nec tamen tantam a nostratibus exposcimus famam, hac tantummodo rerum muliebrum contenti notitia, qua valeant ad quaesita succinctas et adaequatas reddere responiones, dilucida eorum, circa quae lis agitur, exponere signa, iudicio demum Medicorum collegiis relicto, ne, si architae crepitaculorum ad instar plura citra ordinem prononant,

ea,

(t) IUVENALIS *Satyra* 13. v. 26. seq.

(u) Fragmenta ex *Aspasia* exhibet AETIVS in *contracta* ex veteribus medicina *Tetrabibl.* 4. *Sermon.* 4. c. 12. 15. aliisque. Extat cum medicae artis principibus post *Hippocratem* et *Galenum* apud Henr. Stephanum 1567. fol. p. 783. seqq.

(v) *Metamorphos.* Lib. 2. v. 638. seq.

(x) *Sect.* 1. *Operum* eiusdem Tom. I. Lib. 4. p. 42.

(y) in *Theaeteto* edit. citat. p. 110. D.

(z) Lib.



ea, quae apud PLATONEM (cc) extant, ad ipsas iure optimo dirigantur: *διόματα λέγεις δηλοῖς δὲ εἶδεν* Verba dicis, sed nihil significas. Verum non pericia tantum, atque artis exercendae scientia ad obstetricem pertinet, testimonii in foro deponendi gratia requisitam, sed id quoque, quod praestat, tanquam persona publica et officii ratione ut agat necesse est, quod certe nulla poterit fieri ratione, nisi a magistratu, praevio Medicorum examine, ad ea, quae tam privatim, quam publice occurrunt, rite peragenda, iuramento legitimo fuerit obstricta. Hinc Medicinae forensis lumen ZACCHIAS licentiam, quam maxime in obstetrice tum ad chirurgiam obstetriciam exercendam, tum ad forensia persolvenda officia desiderandam esse affirmat, adeo ut absque illa ineptas pronunciet obstetrices, et licentiam hancee ac ius publico nomine agendi ex dignitate rei verbis sequentibus exponat: (dd) *Determinandum autemerat, an mulieres obstetricis munus exercere absque eorum licentia possint, ad quos pertinet illam impertiri, nempe Medicorum, qui de collegio civitatis sunt, ac profecto cum licentia concedatur praecedente examine, ex quo apparet, an tali officio idoneae sint, nec ne, non possunt absque licentia obstetricem exercere, et, si quicquam, locum habet hic similitudo, quemadmodum Medicus absque Doctoratu non pot. st mederi, sic neque obstetrix eo officio fungi absque licentia poterit.* Profecto magna locorum ac aetatum habetur diversitas, cum in nostratibus constituendis obstetriciae artis ministris parum iuris Medicorum suffragio concedatur, sed optime ad illas spectent, quae apud MARTIALEM (ee) leguntur verba:

*Tu quod es e populo quilibet esse potest.*

B 2

Art

- (z) Lib. Fabular. Lugd. Bat. et Amstel. 1670. 12. c. 274. p. 252.  
 (aa) Odyss. 4. v. 226. seqq.  
 (bb) Eminent has inter a PLINIO allegatas *Olympias Thebana*, ad cuius auctoritatem plus simpliciter provocat vice. *Histor. natural.* Lugd. Bat. et Roterod. 1669. 8. Lib. 28. c. 19. Tom. III. p. 240. seqq.  
 (cc) in Gorg. edit. citat. p. 334. C.  
 (dd) ZACCHIAS *Quaest. Medic. Legal.* Francof. ad Moen. 1688. fol. Lib. 6. Tit. 1. *Quaest.* 12. n. 17. Tom. II. p. 517.  
 (ee) l. a. Lib. 5. epigram. 13.

(ff) ff 25.



At quicquid horum sit, ac quocunque demum nomine nostrates obstetricum munus aggrediantur, dummodo a magistratu rite fuerint constitutae, aliqua certe testimonium ferendi gaudebunt auctoritate, fecus ac si legitima artem exercendi licentia destituantur. Equidem non negandum, privatam quoque mulierem a Magistratu posse ad explorandam rei veritatem requiri, quod tamen non nisi deficiente accidit obstetrice, hac simul observata cautela, ut foemina actui destinata forensi debita sit imbuta muliebrium rerum cognitione, ac peculiari quodam iureiurando legitimum in peragendo officio acquirat valorem, cum testi non iurato, communi iureconsultorum regula, nulla adhibeatur fides. Proinde si verba, quibus comprehenditur iusiurandum nostratum, animo nostro paulo curatius contemplemur, extra omnem censemus dubitationis aleam positum esse, fore, ut idem mulierum ingenio magis accommodatum appareat, si speciatim ut ad reliqua ita et ad servandam fidem in deponendis coram iudicio testimoniiis obligentur, ne in his vel aliis peragendis negotiis, cum non obstrictas se aestiment obstetrices, negligentiam adhibeant ex instituto. Quod si demum pro rei quaesitae pondere inter obstetrices quandoque sit instituendus selectus, non probatae tantum et artis et fidei desiderat VLPIANVS (*ff*), sed sana quoque dicitur ratio, magis exercitatae ac seniores hoc in negotio caeteris esse praefereandas, siquidem *seris venit usus ab annis.* (*gg*)

## §. IV.

*De Medico  
actus ob-  
stetricum  
forenses  
dirigente.*

Valeant itaque obstetrices, quibus a Magistratu demandatum, ac iuramento quodam confirmatum fuit obstetricum munus, praesertim si rerum suarum cognitione et experientia se commendent, tunc enim inquirendo in rebus dubiis secundum artis regulas aliqua pollent auctoritate, *non quod peculiari prae Medico*  
*et*

(*ff*) ff. 25. Tit. 4. de inspiciendo ventre custodiendoque partu.

(*gg*) OVIDIVS Metamorphos. Lib. 6. v. 29.

(*bb*) Verba sunt BOERNII de officio Medici duplici. Lips. 1704. 4. Part. 2. cap. 3. p. 560.

(*ii*) l. 5. c.

(*kk*) Sa-



et chirurgo testificandi peritia atque auctoritate polleant, sed quod necessitatis et verecundiae gratia munus hoc ab Atheniensibus primum ac a Legislatoribus postmodum cunctis iis demandatum fuerit. (bb) Verum utinam tales essent nostrates obstetricio muneri dicatae mulieres, ut in earum iudicio acquiescere valeant et Medici et Iuriconsulti, eum tamen HORATIVS AVGENIVS (ii) non citra rationem in dubium vocet, an obsterrices iis omnibus, ad quae peragenda a Iudicibus postulantur, respondeant ex voto. Nolo autem in praesenti in earum contentum ea taediose repetere, quae de illarum imperitia alia iam tum exposui occasione, cum nec alii auctores veritatem rei huius impugnent, nec quotidiana experientia contrarium manifestet, sed valeant potius de hac vel illa rerum obstetriciarum ministra, quae de ebria canit venere IVVENALIS: (kk)

*Inguinis et capitis quae sint discrimina, nescit.*

Hinc quamvis in rebus ad sensum patentibus, quae non adeo magnum veritatis scrutinium exposcunt, solum sufficiat testimonium obstetricis iuratae, nihilominus tamen BOHNII (ll) monitum nulla propemodum ratione negligendum videtur: *In rebus alicuius momenti et ubi plus perspicacitatis atque peritiae opus, sine Medicis solae nec ad inspectionem, nec ad renunciationem admittantur, iisve nunquam, nisi Medici cuiusdam periti aut integri alicuius collegii assensus accesserit, fides habeatur;* id quod non immerito a plerisque legum doctoribus confirmatur, (mm) praesertim cum ardui profecto ac difficilioris iudicii casus inconsideratam obstetricum inquisitionem ob summam earundem rerum tum anatomicarum tum physiologicarum ignorantiam eludant. Namque

*Non ideo debet pelago se credere, si qua*

*Audet in exiguo ludere cymba lacu. (nn)*

B 3

Imo

(kk) Satyra 6. v. 300.

(ll) l. a. Part. 2. c. 3. p. 569. seq.

(mm) ex his tantum sufficit allegasse FACIANVM de probationibus Lib. 2. c. 2. n. 32. 33. 34.

(nn) OVIDIVS Trist. Lib. 2. v. 329. seq.

(oo) l. a.



Imo quantumvis oborta Medicum inter et obstetricem in dubiis quandoque quaestionibus disensione, Medico tanquam artis peritiori a collegiis Medicorum maior omnino fides adiudicetur, notante id praeprimis ZACCHIA (oo) et BOHNIO, (pp) nec praxi reclamante quotidiana, non tamen facile obstetricibus connivendum videtur, si illa, qua plerumque luxuriant, audacia irritatae Medicis contradicant ac sapientiam suam ultra genuinos sphaerae terminos extendant. Cum igitur adeo perverfa obstetricum indoles observetur, et metus subsit, ne malum hoc contumax altius adhuc serpat, cum haud raro accidat, quod Poeta (qq) verbis sequentibus exponit:

*Dedit hanc contagio labem,  
Et dabit in plures; sicut grex totus in agris  
Unius scabie cadit et porrigine porci,  
Uvaeque inspecta livorem ducit ab uva,*

Quis non animadvertit, Medici cuiusvis officium maximam secum vehere necessitatem, ut annotandis et corrigendis obstetricum erroribus sedulam omnino operam strenuamque impendat, praesertim cum SENECAE (rr) monitum et hoc in negotio sua gaudeat veritate: *Qui non vetat peccare, cum possit, iubet.*

## §. V.

*De obiectis  
in genere  
circa quas  
in foro  
versantur  
obstetri-  
cum erro-  
res.*

Quodsi autem non nisi praesentio ac praesente Medico de rebus gravioris momenti instituat examina, videntur equidem ad Medicum pertinere, si qui in iudicio de rebus muliebribus committantur errores, cum tamen salva adhuc res sit, nec vetulae culpam valeant a se remove, quacunque demum id ratione intendant. Quemadmodum enim in officio suo clinico temulentiae nonnunquam cum dispendio et matris et embryonis haud levem profecto imprudenciam produunt, ita et in negotio forensi summa earum oculos

(oo) l. a. Tom. III. consil. 41. p. 74.

(pp) l. a. Part. 2. cap. 3. p. 570.

(qq) IUVENALIS Satyra 2. v. 78. seqq.

(rr) Tro-



los obduxit caligo, adeo ut variarum rerum indicia ac signa, quae sane non debebant a Medico, dignitatis suae conscio, explorari, ab obstetricibus perperam subministrantur, totumque subinde hac ratione pervertatur negotium, ac Collegia Medicorum dubia eiusmodi et confusa casuum relatione mire admodum divexentur. Ne igitur, quae in foro tractantur, negotia denunciationibus obstetricum obscuris admodum et ambiguis perturbentur, sed firmiori talo Medicorum valeant inniti iudicia, instructione certe ac censura est opus, quo demum, si ad rei veritatem investigandam desiderantur, aptiores profecto manus et magis accommodatas operi peragendo valeant applicare, nisi solae forsitan obstetrices dicti *Horatiani* (ss) infringere cupiant veritatem:

*Nemo adeo ferus est, ut non mitescere possit,*

*Si modo culturae patientem commodet aurem.*

Iam vero cum, alteram classem obstetriciorum errorum ut perlustremus, ratio postulet instituti, limites praecipuis definiendi occurrunt, quibus continetur eorum turba infestissima Medicinae forensi. Equidem publicum obstetricum officium, partemque eiusdem, quae partus negotium non attingit, latius olim paruisse colligimus ex *PLATONE*, (tt) qui earum studio apra ad matrimonium corpora selecta et invicem combinata fuisse docet. Ast ea nostrarum non est auctoritas, quas consuetudo et leges non nisi eo nomine admittunt in foro, ut Medico in exploranda quandoque rerum ambiguarum veritate versanti manuum operam subministrant, et exquisitè tradita eorum conditione, quorum examen vel oculorum vel manuum ministerio instituendum incumberebat iisdem, legitimo, quod a Medico expectatur, iudicio firmum omnino ac genuinum suppedient fundamentum. Hoc igitur in negotio obstetrices, et quicumque in actu solenni earundem sustinent vices, sive chirurgus id praestet, cui inspectionem genitalium puellae cuiusdam, quae stupri perpeffi excitabat suspicionem, demandatam fuisse

(rr) Troad. Act. 2. v. 291.

(ss) Epistolar. Lib. 1. epist. 1. v. 39. seq.

(tt) in Theaeteto Operum eiusdem p. III. A. C.

(uu) Sy-



fuisse refert MICH. ALBERTI, (uu) sive matronae eodem fungantur officio, cum et illis iudicium de virginitate ferendum pontificii iuris canones (xx) concedant, duplici potissimum ratione a religione officii declinabunt, cum, gravioris argumenti negotiis, quae anatomicam aequae ac physiologicam supponunt doctrinam, Medici cuiusdam iudicio relictis, iisdem sola rerum muliebrium inspectio restet, circa quam vel de internis mulierum partibus, vel de externis, earumque conditione perverfas subinde sententias deponunt, adeo ut quandoque vix ulla Medicorum collegia errorum valeant dissolvere nodos. Externam igitur muliebrium conditionem quod attinet, circa hanc varia ratione opera exposcitur obstetricum, cum illa vel observentur dubia in hermaphroditis, vel non naturalia in atretis, vel male comparata et a statu integritatis aliena in defloratis quam maxime, et iis, quae de vi aliqua ipsis illata coram iudicio conqueruntur. Imo cum et interdum circa internarum partium conditionem dubia occurrant non contemnenda, huius quoque rei investigandae gratia obstetricum manus desiderantur, id quod praesertim in dignoscenda uteri prociencia ac graviditatis signis diiudicandis fieri observamus, cum hoc potissimum in casu nec obstetrici rite instructae omnis sit deneganda fides, nec citra rationem contradicendum sit Imperatori IVSTINIANO, (yy) qui omnem pudendorum inspectionem castitate suorum temporum indignam aestimare non dubitavit.

De obstetricum erroribus circa hermaphroditorum dignotionem.

## §. VI.

Ut igitur ea, quae argumenti nostri ingrediuntur tractationem,

(uu) Systema Iurisprudentiae medicae Part. I. theoretic. cap. 3. casu 3. p. 77.

(xx) Decretal. Gregor. IX. Lib. 2. de probationibus Tit. XIX. cap. causam matrimonii: *Quia, ut dicit canon, saepe manus fallitur et oculus obstetricum: volumus et mandamus, ut adhuc honestas matronas providas ac prudentes deputari curetis ad inquirendum, utrum dicta puella virginitatis privilegio sit munita.*

(yy) Institut. Lib. I. Tit. quibus mod. tut. fin.

(zz) de Semine Lib. 2. cap. 3. in fin. Operum eiusd. edit. Froben. c. praef. Conr. Gesneri 1562. fol. Class. I. p. 679. A. (a) de



nem, quo fieri potest ordine exponamus, ab hermaphroditorum consideratione ortum ut faciamus, superius indicato rerum explicandarum nexu invitamur. Cum vero nemo fortassis dubiam utriusque sexus in eodem genitali miscelam in dubium vocet, praesentis nostri laboris non est, ut, quae eorundem testentur existentiam, plura proferamus exempla, vel in vocis originem inquiramus, vel varias illorum species et universam physiologiam prolixis admodum verbis recenseamus, cum hac de re varii auctores ex instituto suam explicaverint opinionem, quos inter ex antiquis GALENUM (zz) et AEGINETAM, (a) e recentioribus autem ZACCHIAM (b) allegasse sufficiat. Proinde si hermaphroditum tractationis nostrae aliquem sibi vindicant locum, hac saltem ex ratione nostram desiderant attentionem, quod varias in foro soleant parere quaestiones, ad quas dissolvendas oculari profecto opus est inspectione. Nimirum si in gratiam huius rei Iureconsultos consulere cupiamus, variae omnino ex dubia eorundem conditione proficiscuntur difficultates, quae non levioris momenti quaestiones producant, an nempe baptisma in hunc vel illum sexum sit dirigendum? utrum hermaphroditum ecclesiasticis officiis sint adornandi? (c) annon ad testimonia perhibenda debeant admitti, (d) vel an a feudis non immerito excludantur? (e) Cum itaque hoc in negotio probe considerata definitione sit opus, ad quemnam praecipue sexum androgynum eiusmodi subiectum debeat referri, Medicorum praecipue exploratur iudicium, quod quamvis solum sufficere possit ad dirimendam litem sexumque dubium eruendum, consuetudini tamen concedendus hic locus, qua iuxta leges obstetricis

C

quo-

(a) de re medica Lib. 6. c. 69. extat cum medicae artis principibus post Hippocratem et Galenum apud Henr. Stephanum p. 58r. A. B.

(b) l. a. Lib. 7. Tit. 1. Quaest. 8. Tom. II. p. 59r. seqq.

(c) Conf. ВОЕНМЕРИ Ius ecclesiastic. protestantium Tom. I. Lib. I. Tit. 20. §. 10. p. 528.

(d) Conf. BENEDICT. CARPZOV. Iurisprudentia ecclesiastic. s. consistorialis. Lib. 2. Tit. 1. Defin. 16. n. 9.

(e) Conf. idem l. a. n. 10.

(f) l. a.



quoque hoc in negotio adhibentur, id quod *CARPZOVIVS* (f) claris omnino verbis demonstrat. Iam vero obstetricibus maxima videtur culpa male diiudicati hermaphroditi attribuenda, cum haud raro, non praesentibus Medicis ac in consilium non vocatis, in recens natis perversa ratione sexus instituant examen, adeo ut earundem vitio haud pauci diversae profecto sexuum classis adiudicentur. Quod si enim exemplis veritatem asserti debeam comprobare, id quidem facili admodum negotio a me poterit praestari, ad celeberrimi *BOHNII* (g) provocando auctoritatem, qui casum refert sat curiosum de androgyno, foemineo nomine habituque ad vigesimum tertium annum usque educato, quem ille pro viro manifeste admodum declaravit, quamvis impotentiae virilis aliquam moveret suspicionem. Imo quantumvis baptismi, quod incongruo plane et sexui minus conveniente nomine fuerit illatum, nil quicquam profecto efficaciae amittat, non contemnendus tamen perpetrati erroris animadvertitur effectus, si perversa utriusque educatio ac sexui masculino vel foeminino minus accommodata, perversos simul mores ac sexui minus convenientes producat, adeo, ut invalida interdum matrimonia non sine graviore animarum periculo contrahantur. Huius omnino generis historiam exhibet *VALENTINI*, (h) Androgynum sistens foemineo demum sexui adiudicatum, qui postquam per quatuordecim annos vixerat cum uxore, divortium expertus est Magistratus auctoritate, ubi nullum est dubium, quod ad infantiam redeat error, quo non consideratis ab obstetrica muliebrium signis, pro masculino habitu et educationem nomini convenientem fortitus ad matrimonium in eundem fuerit irritatus. Profecto hic unicus error, obstetricum negli-

(f) l. 2. n. 13. (g) l. a. Part. 2. cap. 3. p. 569. Huic propemodum simile exemplum exhibent Ephemerides Academiae Naturae curiosorum. Francof. et Lipsi. 1712. 4. Cent. 1. observ. 99.

(h) Novell. medic. Legal. Francof. ad Moen. 1711. 4. Caf. 10. p. 241. seqq.

(i) Confirmant id iam dum allegata a *BOHNIO* et *VALENTINI* imo et *RIEDLINO* in Ephemeridibus Academiae naturae curiosorum tradita exempla, quibus definiendis nullas fuisse adhibitas obstetricas animadvertimus.

(k) Conf.



negligentia commissus, non leuem utique reprehensionem mereatur, quamvis et alio tempore, quo solae in adulatorum sexu diiudicando haud versantur, sed Medico adiunguntur, actui huic destinato forensi, ab omni prorsus culpa deprehendantur immunes, et ea, quae praesente Medico, eoque minus attendente perperam administrantur, eiusdem errore accidisse non immerito iudicentur, sicuti e contrario sexus scrutinium absentibus quoque obstetricibus institutum suo gaudeat robore et valore. (i) Equidem a variorum Autorum (k) observationibus alienam alere opinionem non cupio, qui plerosque androgynos, cum ab ortu foemellae apparuerint, sub annis demum pubertatis masculini sexus exhibuisse vestigia affirmant, adeo ut dubii sexus a praevaletente discrimen profundum omnino et intricatum involvat negotium, sicque iniquum satis ac grave videatur postulatum, quo in re tam ardua difficilique obstetricum iudicium expectatur, praesertim si genitalia utriusque sexus signa aequalia ostendant, (l) quo in casu in adultis profecto, nedum in infantibus accurato examini gravissimae sese obiciunt difficultates. At enim vero hic ignorantiae quidem, non aequae negligentiae veniam impetrabunt mulieres, si in re dubia circa sexum infantis definiendum Medici consilium non exposcant, adeo ut non citra rationem asserere valeamus, semper per obstetricum errorem accidere, si pro foemella habeatur, qui in ipsa pubertate virum luculentum indicio repraesentet. Non vero levioris momenti error committitur ab obstetrice, quando, absoluta inspectione, eos hermaphroditorum classi accenset, qui evidentia satis et conspicua exhibent sexus definiti indicia, id quod iis praesertim mulieribus est solenne, quarum clitoris tantam omnino longitudinem aequae ac

C 2

cras-

(k) Conf. hac de re PLINIUS Histor. natural. Lib. 7. cap. 4. Edit. citat. Tom. I. p. 405. seq. aliosque a MICH. ALBERTI citatos l. a. Part. I. c. 2. §. 33. p. 53. Monstrosam vero alit opinionem MERCATUS, de mulierum affectionibus Lib. 2. c. 10. et II. Operum eiusdem Francof. 1608. fol. Tom. IV. p. 584. A. et p. 587. D. qui mutationem foeminarum in viros ad uteri prociidentiam refert.

(l) Huius generis exemplum protulit REALDVS COLVMBVS de re anatomica Francof. 1590. 8. Lib. 15. p. 494. seq. (m) Conf.



crassitiem est indepta, ut penem aemulari deprehendatur, cui si nympharum seroti similitudinem repraesentantium accedat durities, foeminam facile virum mentiri posse, variis autorum observationibus constat, adeo ut mirum non sit, hac rerum facie decipi obstetrices, quae sua natura novarum rerum admodum sunt studiosae.

## §. VII.

*De erroribus obstetricum circa muliebris impotentiae notas.*

Non vero in rebus tantum altioris indaginis, quas certe et hermaphroditorum dignotio spectat, mulieres, et quicumque in earum iudicio acquiescunt, insigniter admodum hallucinantur, sed et leviora occurrunt, sensibus obvia externis, quibus profecto diiudicandis obstetrices minus sufficiunt. Equidem prolixiori non opus est asserti probatione, cum plures inter genitalium muliebrum conditiones, quae in causis maxime matrimonialibus physicam inquisitionem requirunt, mulieres potissimum clausurae cuiusdam vaginae uterinae, vel nimiae eiusdem arctitudinis accusatae, et magistratus auctoritate obstetricum oculis subiectae dilucida admodum et evidentia huius rei praebeant documenta. Nimirum cum ad matrimonii copulam dissolvendam exacta desideretur exploratio impotentiae muliebris, cuius speciem nimia constituit arctitudo, vel plenaria vaginae uterinae clausura, non raro ad Iudices transit huius rei querela, et obstetricum huiusmodi mulieres submittuntur officio, in quo tamen peragendo, si statum naturalem cum praeternaturali nesciant comparare, multiplici profecto ratione delinquant. Quod igitur ad viarum angustiam attinet, quae non nisi habito ad viri mentulam respectu, potest considerari, adeo, ut nulla possit foemina, nisi imperforata simul sit, absolute arcta pronuciari, in hac sane definienda egregii obstetricum

(m) Conf. ZITTMANNI Medicin. Forens. Francof. ad Moen. 1706. 4. Cent. 4. cap. 29. p. 906. seq.

(n) Recensitas has species ex antiquis AETIVS adducit l. a. Tetrabibl. 4. Serm. 4. cap. 95. apud Henr. Stephanum p. 832. C. ex recentioribus IO. FRANCISC. LOEW Theatr. Medico Iuridic. Noriberg. 1725. 4. cap. 5. §. 5. n. 14. p. 281. Peculiarem casum impotentiae muliebris exhibet ZITTMANNVS l. a. Cent.



cum errores se manifestant, cuius rei exemplum prostat in casu notabili Responſionum *Facultatis Medicae* LIPSIENSIS, (m) qui Medicum exhibet obstetricum testimonio deceptum, et de clausura vaginae uteri in foemina quadam ferentem iudicium, cuius sententiae cum magistratus ecclesiasticus inniteretur, matrimonium quidem fuit dissolutum, foemina autem paulo post a robusto quodam iuvene impraegnata docuit demum relative se quidem arctam, non aequè omnibus clausam exitisse. Hinc magna omnino circumspectione est opus, ne in rebus ardui profecto momenti perfunctorie saltem viarum conditio investigetur, cum neque omnis arctitudo, instituta ad virum probe mentulatum relatione, virginitatis afferat notam, neque ea, quae virum plus aequo munitum excludit, imperforatae nomen iure meritoque acquirat, sicuti et ea, quae comparata cum viro tenui gracilique, vel ex aliis demum causis paulo post enarraudis amplior existit, pro deflorata minime poterit declarari. Iam vero haud leuiorem requirit attentionem plenaria vaginae uterinae clausura, cuius quidem variae species ab Autoribus recensentur, cum vagina vel in parte superiori circa uteri orificium internum per crassam quandam et carnosam substantiam coalescat, vel latera eiusdem nexu cohaereant vitioso, vel aditus ad vaginam solida interdum et carnosâ, aut tenui quandoque et exili aliqua membranula praecludatur. (n) His igitur omnibus rite peruestigandis nisi mulieres manus applicent summa profecto animi intentione directas, tunc quidem nec foeminarum poterunt desiderio respondere, quae interdum obstetricum iudicium auide admodum expectant, an scilicet a chirurgis possit mali huius desiderari medela, (o) nec Magistratum in dirimenda et decidenda lite occupatum de genuina rerum constitutione cer-

C 3

tum

Cent. 6. cas. 48. p. 1557. seqq. qui uteri potius descensum quam aliquam vaginae uteri clausuram indicare videtur.

(o) Quaestionem eiusmodi *Collegio Medicorum* LIPSIENSI propositam recenset ZITTMANNVS. l. c. Cent. 4. cas. 88. p. 1053. quo in casu ob laterum vaginae uteri coalescentiam, operationem chirurgicam dissuadendam censuit *Facultas medica*, quam tamen in clausura vaginae uteri a membrana quadam solida



tum reddere valebunt, cum tamen praesenti in casu, si Medicus ipse manus adhibere vel nequeat, vel nolit, ad eruendam veritatem accuratum utriusque testimonium obstetricum, fida earundem relatio, (*p*) et adaequatae ad Medici quaesita responsiones necessario requirantur, adeo ut hoc demum modo aliqua ratione suppleatur defectus. Equidem et aliae interdum quaestiones moventur in foro, quae matrimonii praesertim respiciunt solutionem, cum vel clitoris, magnitudine praedita enormi, maris respuat congressum, vel uteri vagina relaxatione nimia sit affecta, vel uterus quoque in perverso versetur situ, quae tamen conditiones non adeo difficili opera investigantur, nisi fortassis dolo malo vel negligentia obstetrices in errores rapiantur non contemnendos. Imo et plures muliebrium subinde occurrunt diversitates, quibus profecto et monstruosa uteri ipsius conformatio, qualem haud pauci referunt Autores, (*q*) et plenarius uteri defectus, quem COLVMBVS (*r*) aequae ac FRANCKENAV (*s*) observavit, non immerito accensetur, quae tamen in foro nullam omnino inquisitionem admittunt, adeoque nec ullis perpetrandis erroribus praebent occasionem, quamvis si valeant explorari non leve ad dissolvendum matrimonii vinculum suppeditarent momentum.

## §. VIII.

De obstetricum erroribus circa stupri violenti indicia.

Cum itaque in praesenti in explicanda genitalium externorum conditione versemur, quatenus nempe Magistratus auctoritate obstetricum scrutinio exponuntur, ordine instituti nostri sic impetrante ad ea nunc progredimur recensenda, quae ob argumenti affinitatem arctissima inter se copulantur connexionem. Proinde nostrum omnino ut ordine persequamur laborem, ad stupri violenti

solida et tenaci felici cum successu suscepit SOLINGEN in observationum suarum quinta quae extant cum eiusdem tractatu: *Hand-Griffe der Wund-Ärgney*, Frankfurt an der Oder 1693. 4. p. 711.

(*p*) Hanc desiderat suo iure Collegium Medicorum LIPSIENSE in Responso ad casum ZITTMANNI superius allegatum Cent. 6. cas. 48. p. 1559.

(*q*) Varia Autorum observata circa momentum hocce collegit BONETVS l. a. Part. 2. Lib. 4. Sect. 1. Observ. 16. seq. p. 18. (*r*) l. a.



lenti signa exactius paulo examinanda animum inclinamus attentum, praesertim cum circa haec rite diiudicanda diuersimode peccetur ab obstetrice. Quamvis autem virginittatis laesae indicia cum signis stupri violenti aliquam alant cognationem, non leue tamen eorum observatur discrimen, quod in praesenti tractatione ut attendamus, ratio postulat instituti, cum ex ipso statim nominis significato sit manifestum, quo scilicet nomine obstetricis officium in explorandis stupri violenti indiciis a Iudice exigatur. Nimirum cum stupri commissi ea sit nostra in praesenti consideratio, quae vim aliquam tum reliquo corpori, tum genitalibus praecipue illatam supponat, signa eiusdem denominanda obstetricum inprimis examini subiiciuntur. Imo negandum non est, quod stuprum violentum nonnunquam signa sui exhibeat manifesta, quae certe, quo recentia magis sunt, quo crudelia magis, quo maiori cum cruentatione coniuncta, eo minorem dubitandi locum relinquunt, nihilominus tamen in stupro ipso violento determinando maiori perfectæ circumspectione est opus, quam quae a vetulis valeat expectari, cum potius eas, si, quae obseruarunt, indicia, ea, qua obligantur, fide exponant, officio satisfecisse suo affirmare non dubitemus. Etenim si in tam arduo et determinatu difficillimo omnino negotio soli velimus mulierum iudicio inhaerere, quid mirum, si non raro a recto veritatis tramite aberremus, cum multum omnino referat, perfectum plane sit stuprum, an attentatum, et illius signa quandoque uberim se manifestent, hoc vero subinde invidiosum existat, et si levior saltem cruentatio observetur, non raro videatur suspectum, quale exemplum exhibet VALENTINI *r*), quo dilucide admodum ostendit, quod levior saltem haemorrhagia a Collegio Me-

(*r*) l. a. Lib. 15. p. 495.

(*r*) Satyr. medic. Lips. 1722. 8. Satyr. 2. §. 1. et not. p. 42. seq. itemque Satyr. 7. §. 1. et not. p. 117.

(*r*) Pandect. Medic. Legal. Francof. ad Moen, 1701. 4. Part. I. Sect. I. cas. 20. p. 60. seqq.

(*u*) l. a.



Medicorum pro sufficiente illatae violentiae documento non fuerit declarata. Imo nec parvi momenti observatur diversitas quoad subiectum, cui per stuprum vis aliqua dicitur illata, cum, si immaturae et impuberi puellae iniuria facta sit violenta, pro graviore viarum angustiorum dilaceratione evidentiora eiusdem vestigia restent, imo et symptomata appareant atrociora iis, quae in nubili iamdum virgine violenter nimium tractata se exhibent conspicienda. Accedit aliud adhuc discrimen, quod nullo utique iure negligendum videtur, cum vel recens commissa defloratio debeat explorari, cuius signa fusius explicat ALBERTI (u), vel praeterfluxo iamdum temporis aliquo intervallo investigetur, cuius profecto signa sicut ambigua sunt et obscura, ita et eandem longius admodum celatam suspectam non citra rationem iudicant Iureconsulti (x). Denique et alia adhuc ratione obstetricae in perferendo hoc scelere, quo per vim aliquam contaminatam se esse interdum pronunciat puella, egregie decipiuntur, si nempe intricata admodum fraude omne negotium absolvatur, quam certe, nisi omnes intendat ingenii nervos, vix ac ne vix quidem detegere valebit, cum magna utique in hoc peragendo opere animi sit opus dexteritate, adeo ut quaevis debeant attendi momenta, quae aliquam valeant inferre suspicionem, huncque in finem non tantum aetatis, sed et corporis constitutionis, valetudinis, imo et symptomatum in corpore quaesito conspicuorum exactum omnino sit instituendum examen, quo demum his omnibus accurate inter se comparatis stuprum imputarum (y) a vero stupro sollicitè discernatur, id quod faciliore opera nonnun-

(u) l. a. Part. I. cap. 3. §. 15. p. 72.

(x) Conf. CARPZOVIVS l. a. Lib. 2. Tit. 14. Def. 238. §. 13.

(y) Casum de dolosa imputatione stupri puellae octenni valetudinariae illati recenset ALBERTI l. a. Part. I. cap. 3. cas. 3. p. 77. itemque in Appendice cas. 3. p. 7.

(z) Commendat hoc institutum ZACCHIAS Quaest. Medic. Legal. Lib. 4. Tit. 2. Qu. 3. n. 8. p. 380.

(aa) Con-



nunquam succedet, si stupratoris membrum sensuum iudicio exponatur, (z), cum hac ratione laesionum, quae proferuntur gravitas non adeo difficulter se manifestet. His igitur probe consideratis, quis non sua sponte luculenter admodum animadvertit, multis omnino iisque gravissimis erroribus obnoxium esse officium obstetricum, praesertim si in stupri violenti indiciis examinandis sint occupatae, et non quaevis rerum explorandarum momenta summo studio et industria contemplantur, ut eos nunc casus mea non attingam tractatione, qui de stupro in dormiente puella (aa) vel narcotico obstupefacta (bb), vel inebriata (cc) commissio variis ab Auctoribus annotantur et spinosas subinde movent coram iudicio quaestiones, quibus dissolvendis an sufficientes obstetrices, mea quidem opinione non affirmatur, a qua nec legum praesules dissentire videntur, qui hisce in casibus abarris peritis non veritatis, sed credulitatis testimonium expofcunt (dd).

## §. IX.

Nova nunc succedit in locum prioris tractationis doctrina, nostrumque studium et attentionem eodem sibi vindicat iure, cum nostrumque studium et attentionem eodem sibi vindicat iure, cum *De erroribus obstetricum,* variis offerat annotandos obstetricum errores, qui ab iisdem in *qui in exploranda virginitate* plus simplici vice perpetrantur. Nimirum cum non raro coram iudicio de integritate virginum quaestio moveatur, tunc quidem obstetricum ministerio veritatem eruere student iureconsulti, adeo ut non tantum in causis adulteriorum ventris inspectio a Iudice imperetur, sed foeminae etiam quandoque *virginitate occurrunt.*

D

in

(aa) Conferantur casus a ZITTMANNO suppeditati l. a. Cent. 5. caf. 21. p. 156. itemque Cent. 6. caf. 77. p. 1642.

(bb) Stupri puellae sub sopore, narcotico quodam conciliato, illati exhibit exemplum ALBERTI l. a. Part. 2. caf. 20. p. 194 feqq.

(cc) Conf. BENED. CARPZOVIVS Practicae novae imperialis Saxoniae rerum criminalium P. 2. Quaest. 69. n. 35.

(dd) Conf. PACIANVS de probationibus L. I. cap. 47. n. 17.

(ee) Tra-



in comprobanda virili impotentia, ut intactas se esse monstrent, corpus legali offerunt inspectioni, (ee) quo in casu, quamvis leges foeminas non nisi a foeminis nudandas seu inspiciendas moneant, (ff) eo ipso tamen, dum imperitia foeminarum in specie nostrarum hanc regulam frequentius limitare iubet, dentur etiam in sexu sequiori casus, qui obstetricum circulos superent, Medicis non minus ac chirurgis, maribus viva pariter earum corpora ac cadavera lustrare integrum, si non necessarium erit, potissimum cum mulierculis non scite ac perite satis testificantibus, Medicorum inspectio surrogatur. (gg) Imo non parum refert, ut virginitatis scrutinium omni studio et consideratione instituat, cum hac ratione variis causis a Iudice decidendis non leve addatur pondus, simulque puellarum innocuarum fama, fontum correctio et salus, ut et iuris administratio perverso obstetricum negotio insigniter admodum periclitetur. Quam arduum vero et difficile sit de integritate puellarum iudicium, plurima certe Autorum testimonia probant, qui incerta, dubia,aequivoca virginitatis signa pronunciare non dubitarunt. (hh) Proinde cum ea virginitatis species, quae ad distinctionem a mentali materialis dicitur, naturalem quandam constitutionem et cohaerentiam vasorum muliebrium designet, (ii) suo satisfacisse officio obstetrix existimanda, si evidentia annitatur deprehendere signa, quibus constet, laesam esse naturalem viarum angustiam virginibus familiarem, a quacunque demum causa haec fuerit producta, cum, si ad dignitatem rei negotiorum hoc ponderemus, obstetrici non competat iudicium de virginitate suppeditandum, sed officium saltem incumbat, laxitatem viarum investigandi, quae ab aliis quoque causis, quam a solo coitu poterit oboriri. Namque  
suo

(ee) Tradidit eiusmodi exemplum ALBERTI l. a. Part. 2. cas. I. p. 8.

(ff) ff. Lib. 25. Tit. 4. de inspiciendo ventre custodiendoque partu.

(gg) Verba sunt BOHNII l. a. Part. 2. cap. 4. p. 585.

(hh) Conf. ZACCHIAS Quaest. Medic. Leg. Tom. III. Confil. 34. n. 2. p. 62. itemque BOHNIVS l. a. Part. 2. c. 5. p. 626. nec non RIEDLINI Lineae medicae. August. Vindelic. 1696. 8. Menf. Jun. Lin. 17. p. 283.

(ii) Assert hanc definitionem virginitatis LOEVVIVS l. a. c. II. p. 502. n. 2.

(kk) Me-



fuo iam tempore aut manu aut instrumento rupta ab ipsis puellis virginalia fuisse retulit RODERICVS a CASTRO, (kk) ac mensium copiosiori profuvio, nimio balnearum usu, aliisque causis laxiorem posse evadere vaginam practici animadvertunt, adeo ut vindicatam innocuae sponsae a zelotypo marito castitatem exhibeat ALBERTI, (ll) idemque honestam mulierum laxitatem pluribus iisque validissimis argumentis defendat. Medici ideoque, non obstetricis, est opus, viarum angustiam, quae aequivoca et relativa subinde observatur, diiudicare, quod si suscipiat mulier, talem omnino ambabus amplectitur manibus occasionem, qua animam gravioribus iudiciis minus accommodatum luculento indicio valeat demonstrare, cum veritati agnoscendae non unicum sufficiat rei examinandae indicium, sed plura inter se comparata intricatum hocce negotium absolvant. Varia autem habentur decantata illaesa virginitatis signa, e quibus potiora tantummodo in praesenti liceat recensere. Primum nimirum locum sibi vindicat orificii vaginae uteri angustia, et famosae illius membranae seu hymenis praesentia, cuius existentiam observationibus suis varii admodum Autores (mm) confirmant, vaginae uteri rugositas et arctitudo, caruncularum myrtiformium strictura, dolorosa instrumenti admissio, quibus et cruentationem a primi congressus violentia provocatam accensent, quae certe obstetricum subinde ingenia exercet, si quaestio agitetur, an genuina sit appellanda, an ficta et fraude aliqua comparata, quale exemplum adducit ALBERTI (nn) de puella, quae coitum primum usque ad mensium dissecebat eruptionem, ne, cruentationis signo non apparente, laesae virginitatis moveret suspicionem. Reliqua autem quod attinet

D 2

signa,

(kk) Medici Politici Lib. 4. cap. 12. Hamburg. 1614. 4. p. 259.

(ll) l. a. Part. I. cap. 3. cas. 1. p. 74 seq.

(mm) Conf. REGNERVS DE GRAAF in Tractatu de mulierum organis generationi inservientibus. cap. 5. Operum eiusd. Lugd. Batav. 1677. 8. p. 188. lqq. Itemque SWAMMERDAM in Miraculo naturae s. uteri muliebri fabrica. Lugd. Batav. 1672. 4. cap. 1. p. 28.

(nn) l. c. Part. I. cap. 3. cas. 2. p. 76.

(oo) l. a.



signa, quae interdum ab urina, a colore papillarum perverso, a lapide gagate cum aqua epoto, quem si urinae sequatur profluvium, amissae virginitatis praebere signum animadvertunt, haec et similia, quae fufius adhuc a LOEVVIO (oo) explicantur, vel incerta sunt, et in probanda virginitatis vel integritate vel laesione nullum profecto valent suppeditare momentum, vel demum ab obstetricis officio sunt aliena, et extra nostrae tractationis terminos non immerito relegantur. Dignoscendis igitur hisce virginitatis indiciiis si inconsideratas admoveant manus mulieres, vix ac ne vix quidem graviore valebunt evitare errores, qui huic persolvendo negotio observantur familiares. Quid enim impedit, quo minus et obstetrices focellis earum examini subiectis, incondita manu vaginae orificium incautius contrectando, vitium inferant, quod antea non apparebat, (pp) quid obest, quo minus, si solae et non praesente Medico, testimonium praesent, quicquid primum in buccam venit, pronuncient, et in unico tantum virginitatis signo acquiescentes, reliqua ad rei veritatem plenius perspicendam necessaria non attendant, sicque integras iudicent, quas paulo post gravidas contrarius exhibet eventus, et vice versa incorruptas et nullo violatae virginitatis vitio contactas stupido quodam et minus considerato suo iudicio reddant suspectas, ac famae earundem non levioris notae maculam aspergant. Quodsi enim exemplis asserti veritatem debeam illustrare, non desunt autores, qui in gratiam huius rei egregii profecto valoris subministrant momenta, cum non tantum AVGENIVS (qq) in annotandis obstetricum erroribus occupatus mentem suam verbis sequentibus exponat: *Tantum possunt eiusmodi fraudes, ut viderim sex probatae famae obstetrices mulierem quandam iudicasse intactam virginem quae septem ante mensibus puerum pepererat*; sed et ZACCHIAS (rr) casum referat com-

(oo) l. a. c. ii. p. 509 seq.

(pp) Refert huius generis exemplum AVGVSTINVS de civitate Dei Lib. I. cap. 18. Operum eius. opera et studio Monachorum ordinis S. Benedicti. Antwerpen. 1700. fol. Tom. VII. p. 15: *Obstetrix virginis cuiusdam in-*  
regri-



comprobandae assertioni optime accommodatum, dum nempe tres obstetrices ad virginem inspiciendam convocatas producit, quarum duae violatam eandem, tertia inviolatam pronuntiabat, donec iudex hac obstetricum discordia commotus, ad Medici sententiam provocaret, qui posterioris renunciationi assentiebat. Namque nec universum subinde obstetricum collegium in declaranda laesa vel illaesa virginitate occupatum, definitum et adaequatum producere valebit iudicium, sed potius dissensu suo perpetuo et discordia huic hominum generi familiari iudicem dubia hac rerum relatione eo deducunt, ut Medici alicuius consilium imploret, quo demum iterata inspectione litem hanc vix alia ratione dirimendam componat.

§. X.

Prolixissimum nunc aggredimur argumentum de suspecta foeminarum graviditate, quo certe in campo et obstetrices et Medici non leviter sudant, si in dissolvenda ardua hac quaestione, an gravida sit mulier, nec ne, eorundem iudicium desideretur. Nimirum quandoque, disrupto iam tum matrimonii vinculo, diffidentur graviditatem foemellae, vel etiam puellae graviditatis suspitione corruptae eandem omni labore et studio occultant, adeo ut in praecavendi infanticidii gratiam iudex ventris inspectionem instituat obstetricum opera administrandam, ut scilicet in ea quae dubia et ambigua iudicantur, eo maiori inquirant sollicitudine et cura. Quod si igitur obstetrices in peragendo hoc munere probe admodum sint versatae, et genuina intelligant verae impraegnationis indicia, nullum est dubium, quod valeant hac ratione suspectam detegere graviditatem, ac gratum veritati praestare officium. At enim vero gravius omnino momenti res est, cuius examen in se su-

*De obstetricum erroribus in detegenda distimulata foeminarum graviditate.*

D 3

sciunt

*tegritatem manu velut explorans sive malevolentia sive inscitia sive casu dum inspicit, perdidit.*

(qq) l. a. Tom II. Lib. I. cap. 5. p. 230. n. 30.

(rr) Quaest. Medic. Legal. Tom. III. Confil. 41. p. 74.

(rr) Conf.



sciunt obstetrices, ac, quae levi fortassis et perfunctoria saltem aliqua exploratione possit diiudicari, praesertim cum ambigua admodum sint et aequivoca verae graviditatis signa, nec raro in mensium obstructione ea phaenomena observentur, quae et graviditatis valeant movere suspicionem, adeo ut vix unquam graviditatis scrutinium eadem promptitudinae absolvatur, quam DEMOCRITVS ostendebat, qui puellam, Hippocratis comitem, quam sub adventu, salve virgo, compellaverat, altero mane salve mulier salutabat (ss), praesertim cum HIPPOCRATES ipse tanti aestimaverit negotii huius difficultatem, ut eundem circa graviditatem in Temenae sorore (tt) et praefecti fori apud Tecomaeum filia (uu) definiendam haesitasse deprehendamus. Proinde si unico tantum indicio fidem concedere non dubitent obstetrices, sed potius eodem omne de graviditate suspecta formandum iudicium stabilire conentur, tunc certe in errores incidunt non mediocres, inprimis, si mensium retentionem pro indubitato graviditatis signo agnoscant, cum tamen emmeniorum fluxum per aliquod etiam tempus gestationis continuasse varia ab haud paucis Autoribus (xx) allegata exempla dilucide admodum demonstrant. Imo nec omni exceptione maius existimandum, quod a ventris intumescencia desumitur, signum, cum et subinde a tympanite, scirrho mesenterii uterique, mensium diuturna suppressione tumor eiusmodi proficiatur, id quod suo iam tempore HIPPOCRATES (yy) observavit. Quod mammas deinceps lacte turgidas atinet, ad has equidem tanquam ad genuinum praegnantiae signum sprovocent

(ss) Conf. DIOGENES LAERTIVS in vita Democriti, quae extat cum eiusdem Libris X. de vitis dogmatibus et apophthegmatibus clarorum Philosophorum. Edit. Meibomian. Amstel. 1692. 4. Lib. 9. Segment. 42. p. 572.

(tt) Epidem. Lib. 4. Sect. 18. Operum Lib. 55. Tom. I. p. 755.

(uu) Ibid. Sect. 14. p. 752.

(xx) Conf. ex antiquis ARISTOTELES Hist. animal. Lib. 7. c. 2. Operum eiusdem Parisiis. 1654. fol. p. 364. E. e recentioribus BONETVS Medicin. Septentrion. Lib. 4. Sect. 5. observ. 9. Part. 2. p. 64. itemque FRANCKENAV Satyr. medica 15. p. 268. seq.

(yy) De



vocent obstetrices tunc certe HIPPOCRATIS observationibus minus convenientem alunt opinionem, qui et ab uteri hydrope (zz), mensiumque defectu et suppressione (a) non dubitat lactis derivare proventum, unde et CHRISTHORVS a VEGA (b) castae cuiusdam virginis lactefcentes exhibet mammas. Nausea denique, vomitus ac pica seorsim considerata nullum quoque validum graviditatis exhibent signum, nec, nisi aliis simul gravioris momenti indiciiis adiungantur, aliquam merentur attentionem. Ad motum igitur embryonis examinandum animum ut advertamus, necesse est, ut eo clarius hinc elucescat, an, si debita ratione in foetu adultiori instituat examen, veritati in agnoscenda graviditate aliquam valeat affundere lucem, quod certe in dubium vocandum non est, cum ex recensitis omnibus evidentissimum praebear ingravidationis momentum, si saltim embryonis motus a convulsivis uteri motibus discernatur (c). Verum enim vero cum aliquando proximo post conceptionem tempore, quo foetus eam nondum acquisivit capacitatem, ut praesentiam sui motu quodam valeat indicare, de graviditate instituat examen, ad hoc certe signum tunc equidem minime provocandum erit ab obstetrice, sed potius aliud quoddam non levius conditione huic allegato substituendum, ut scilicet quaevis, quae perfectam veritatis cognitionem aliqua ratione valeant adjuvare, acutissime indagentur. Namque et hoc in negotio neutiquam floccipendendum est, quod ab orificii uteri interni conditione derivatur indicium, praecipue cum et HIPPOCRATES (d) illius iniciat men-

(yy) De morbis mulierum Lib. 2. Sect. 60. Operum edit. citat. Lib. 75. Tom. II. p. 526.

(a) l. a. Sect. 59. Operum Tom. II. p. 590.

(b) Aphorismor. Sect. 5. Aphor. 39. Operum Lib. 8. Tom. I. p. 94.

(c) Commentar. in Aphor. Hippocratis Lib. 5. aphor. 39. Operum eiusdem Lugdun. 1576. fol. p. 850.

(d) Fallaces eiusmodi motus uteri a mensium retentione deducit HIPPOCRATES l. a. Lib. 2. Sect. 60. Operum Lib. 75. Tom. II. p. 526.

(e) Aphorismorum Sect. 5. Aphor. 51. Oper. Lib. 8. Tom. I. p. 95.

(e) Ia-



mentionem, et disertis omnino doceat verbis: *Quaecunque uterum gestant, his osculum uterorum clausum est*, quod si mulieres sua attentione minus dignum existiment, ignorantiae aequae ac negligentiae veniam non merentur, cum earum quam maxime requiratur officium, ut genuinam interni orificii uterini indolem, digiti ministerio exploratam, legitimo suo testimonio coram iudicio exponere annitentur. Enimvero nec silentio in praesenti praeter eundem egregium PANAROLLI (e), quod verbis sequentibus exponit, suffragium: *Unum tantum signum verum graviditatis post longas observationes a nobis factas habuimus, videlicet uteri clausuram, quae, digito immisso ab obstetrice diligenti et docta in anatomica sectione in mulieris vulvam, cognosci poterit; Si enim uterus reseratus est, foveam quandam parvam s. u. sinum parvum, rotundum, in digiti extremo persentiet, si vero clausus sit uterus, nulla fovea, nullus sinus tangitur, sed advertendum insuper est, aliquas, non omnes mulieres primo et secundo mense, etiamsi uterum gerant, tamen os uteri clausum omnino non habere, sed elapsò secundo mense postmodum clauditur.* Haec itaque signa, quamvis non omni prorsus pondere destituantur, separatim tamen considerata nullum omnino in comprobando graviditatis statu obtinebunt valorem, nisi plura simul ad genuinam rei quaesitae indolem enucleandam concurrant, ut argumentum alterum alterius accessu corroboretur, quod si attendere detrectent mulieres, quid mirum, si non raro ab officii religione deflectant, et gravidam subinde pro minus impraegnata pronuntiantes, infanticidiis, abortibus, aliisque innumeris fere periculis subministrent occasionem.

## §. XI.

*De erroribus obstetricum*

Attamen, non tantum veram aliquando dissimulant graviditatem mulieres, sed et non existentem interdum ad varia obtinenda

(e) Iatroligismorum seu medicinalium observationum, Rom. 1652. 4. Pentecost. 3, observ. 20, p. 153.

(f) ff.



nenda commoda et evitanda incommoda fingunt, sicque arduo ac *circa inve-*  
 laborioso satis obstetricum officio novas, easque inexplicabiles *stigandam*  
 fere addunt difficultates. Nimirum ut graviditatis speciem refe- *simulatam*  
 rant foeminae nonnunquam vario argumentorum pondere incitan- *mulierum*  
 tur, cum alia, divortio iamdum peracto, gravidam se esse affirmet; *gravidi-*  
 alia autem post obitum mariti impraegnationem coram iudicio *tatem.*  
 mentiatur, ut vi et rigore Tituli *de ventre in possessionem mittendo*  
*et curatore eius (f)* haereditatis iura acquirat, vel delinquentes  
 quoque sub iudicis examine constitutae et ad carceres condemnatae  
 pro mitigandis carceribus, aut torturae cruciatibus avertendis, aut  
 ultimo differendo supplicio maleficae simulatae produnt gravidi-  
 tatem. His igitur omnibus detegendis obstetricum imprimis di-  
 catas esse manus animadvertimus, quae nisi summa cum cura et  
 animo praesente adhibeantur, duplici potissimum ratione in arduo  
 hoc peragendo negotio decipientur, cum vel vacuo utero existente  
 malitiosa fraude graviditas simuletur, vel peregrina uteri contenta  
 veri ac vitalis cuiusdam embryonis aemulentur vestigia. Primum  
 adeoque quod spectat paragraphi praesentis momentum, cum  
 eae, quae per plures iam tum menses continuatam tradunt gesta-  
 tionem, evidentiora fraudis exhibeant documenta, plerumque  
 recens peractae impraegnationis speciem fingunt malitiosae mulie-  
 res, quae in re cum neque ex habitu corporis externo, neque abdo-  
 minis tumore, nec orificii uteri interni conditione, aliisque phoe-  
 nomenis in antecedenti paragrapho allegatis certi quid valeat desi-  
 niri, valet omnino *Facultatis Medicae LIPSIENSIS* consilium (g)  
 quae simili in casu suspectam *tandem in custodia detinendam* commen-  
 dat, *dum motus foetus in utero aliaque clariora impraegnationis*  
*signa se manifestent.* Proinde si in explicando de ambigua graviditate  
 iudicio praecipitantius agant mulieres, mirari vix convenit,  
 quod inconsiderato earundem effato contrarius plerumque obser-  
 vetur eventus, cum tamen praestet, rei tam arduae ancipitique  
 E diu-

(f) ff. Lib. 37. Tit. 9.

(g) Conf. VALENTINI Pandect. Medic. Legal. Part. I. Sect. I. cas. 17. p. 56.

(b) Fa-



diuidicandae diuturniorem concedere moram, et hoc in negotio regulam observare ab OVIDIO (b) commendatam:

*Differ: habent parvae commoda magna morae.*

At enim vero alia adhuc ratione errorem solent committere obstetrices, si ea minus attendant phaenomena, quae in hoc vel illo subiecto graviditati repugnant, ac veritati enucleandae non parum luminis affundunt, cum vel aetatis inconvenientia, vel variorum morborum indoles, ut, fluor albus, ex quo sterilitatem observavit MYRALTUS, (i) haemorrhagia uteri inveterata, tumor vaginae uteri occupans cavitatem, gravior uteri prolapsus, uteri ulcera et scirrhus orificii uteri interni, in deregendo simulatae graviditatis statu sui omnino postulent attentionem, quorum considerationem si parvi faciant obstetrices, ea profecto adminicula averfantur, quorum ministerio facilius omnino opera potuissent ad genuinam examinandarum rerum pervenire cognitionem. Quod demum alterum attinet huius paragraphi argumentum, hoc certe non levioribus implicatum esse difficultatibus observamus, cum varia quidem, sed spuria impraegnationis vestigia quandoque se manifestent, adeo ut non raro peritissimae quoque et sui ipsius fati consciae mulieres decipiantur, seque sine ullo fraudis studio inani saepe successu eventuque sterili gravidas profiteantur. His vero mulierculis, quae nonnulla, quamvis aequivoca, exhibent graviditatis indicia, non omnis omnino fides derogatur in foro, sed potius in re dubia iura gravidae ipsis eo usque concedenda svadet ZACCHIAS, (k) donec temporis demum successu, datoque spatio rei veritas clarius adhuc elucescat. Quemadmodum autem plura hinc inde occurrunt phaenomena, quae verae impraegnationis exhibent simulacrum, id quod varia hydropsis scirrhi que uteri aut eiusdem ulceris grandioris manifestant exempla, ita nil quicquam maiori similitudinis specie veram aemulatur graviditatem, quam decantatae illae ac plurimorum Autorum observationibus confirmatae molarum varietates.

(b) Fastr. Lib. 3. v. 394.

(i) Apud BONETVM l. a. Lib. 4. Sect. 4. observ. 7. Part. 2. p. 55.

(k) l. a. Lib. I. Tit. 3. Qu. 7. Tom. I. p. 110. seq.

(l) l. a.



tes. Equidem ambigua admodum sunt et infirma, quae ab Autoribus traduntur, molarum indicia, e quibus tamen, cum quaevis non postulent obstetricum attentionem, et plura fusius exponat ALBERTI, (l) unicum tantummodo attingere liceat in praesenti, quod coeteris omnibus dicitur praeripere palmam et manuum obstetriciarum imprimis opera exploratur. Motus nimirum concreti in utero haerentis primarium omnino et obscura inter praestantissimum dicitur suppeditare indicium, in quo definiendo non parum collocasse laboris ALBERTI (m) et SCIPIONEM MERCVRIVM (n) animadvertimus, cum ab iisdem erroris evitandi subministrantur remedia, motuumque molae praesentis inconstantia et irregularitas demonstratur, ac ponderis simul, quod gravidae perferunt, singularis conditio exhibeatur, qua scilicet ratione verae graviditatis status a spuria quadam conceptione possit diiudicari. Profecto magnum, mea opinione, restat adhuc dubitationis momentum, an obstetrices omni tempore ex hoc vel alio forsitan signo praestantiori certi aliquid valeant demonstrare, cum et eae mulieres, quae molarum experiuntur molestias, quamvis et plures iam tum gestaverint embryones, vix valeant discriminis cuiusdam reddere rationem, quod foetuum inter cum molae praesentis motu intercedat, praesertim si varii accedant uteri motus convulsivi, qui aliquando molae, quam delitescere in utero praesupponunt, perverfo obstetricum iudicio imputantur.

## §. XII.

Quemadmodum autem circa determinandum praesentis graviditatis statum nonnunquam versatur obstetricum negotium, ita et nonnulla de praegressa graviditate occurrunt momenta, quae a Iudice obstetricum relinquuntur serutinio. Namque cum subinde commissi infanticidii aut abortus malitiose moti suspicio excitetur in foro, vel etiam quaestio de partu legitimo et supposititio agitur.

E 2

tur,

(l) l. a. Part. I. cap. 5. §. 8. seqq. p. 107. seqq.

(m) l. c.

(n) Nella Commare. In Verona. 1645. 4. Lib. 2. cap. 41. p. 217. seqq.

(o) l. a.



tur, vel demum de partu minus rite administrato ad iudicem deferatur querela, tunc certe uteri inspiciendi observatur necessitas, ad quam instituendam obstetrices veritatis investigandae gratia delegantur. Abortus igitur examen si suscipiant in se obstetrices, et in vivente foemina, quae morbum dissimulare nequit, licque varia suspectae integritatis praebuit argumenta, excitati abortus vestigia perscrutari conentur, errorem omnino haud exigui perpetrabunt momenti, si ambiguis quandoque et incertis quibusdam signis suppeditatis eo adducant Iudicem, ut contra innocuam maiori, quam par erat, rigore conceptam sententiam declaret, qualem prolixius recenset casum, eundemque responsis medicis illustrat ALBERTI, (o) qui mulierem sistit ob lactis praesentiam in mammis, orificii uteri interni aperturam, et paulo ante annotatam haemorrhagiam graviozem in suspicionem incidebat abortus, quo in negotio cum rei quaesitae scrutinium transisset ad obstetrices, neglectam sanguinis grumosi conditionem *Facultas Medica HALLENSIS* iure meritoque desiderabat. Iam vero ab inquisitione abortus spatium quodam distat consummatae graviditatis scrutinium, quod vel paulo post partum, vel effluxo demum insigni temporis intervallo a Iudice committitur obstetrici, ut scilicet vel recentis, vel per aliquod abhinc temporis spatium absoluti partus exponat vestigia, qualia utroque in casu annotanda LOEVVIVS (p) pro suo ingenio egregie admodum declaravit. Nimirum si partus ipse non ita pridem fuerit praegressus, varia omnino manibus oculisque obstetricum se offerunt signa, quae eius cognitionem profecto non parum poterunt adiuvere, cum vel lochiorum profluvium, vel feri sanguinolenti excretio, laxitas itidem pudendorum, nympharum flacciditas, lactescencia mammarum, abdominis rugae, nec non venarum cruralium magnitudo, si in uno eodemque subiecto sibi invicem adiunguntur, multum omnino praesent in corroboranda partus suspicionem. Verum enim vero quis negat longe maioribus premi difficultatibus obstetricum negotium, si longo demum

(o) l. a. In Appendice ad Tom. I. cas. 14. p. 80. seqq.

(p) l. a. cap. 7. p. 373. seqq.

(q) In



num post partum tempore foemina earundem examini submit-  
tatur, quae vel extra matrimonium est constituta, et liberari ab im-  
putata graviditate conatur, vel quoque orta supposititii cuiusdam  
foetus suspitione, vera et genuina contendit praegressi partus pro-  
ducere documenta. Quodsi itaque hoc in negotio obstetrices ad  
abdominis rugas, genitalium partium relaxatam conditionem, de-  
pravatum earundem colorem, mammas flaccidiores, aliasque vio-  
latae virginitatis notas respiciant, nulla adhibita morbi praegressi,  
vel hydropis, vel cachexiae aliorumque consideratione, erroris  
profecto nunquam valebunt effugere culpam, si accedente tandem  
Medicorum scrutinio, mitiorem haec signa faciem nanciscantur,  
et quibusvis omni ingenii acie deliberatis, fallacia admodum re-  
censita indicia ad praecedentes referantur affectus. Denique et ob-  
stetricum errores in partus negotio perperam administrato obstre-  
tricum aliquando submittuntur examini, ubi vel de relicta per ob-  
stetricis negligentiam secundina, aut perversa et crudeli partium  
genitalium tractatione puerperae coram iudicio conqueruntur, quo  
in negotio si odio ductae in damnum prioris contra veritatem de-  
ponant, in errorem profecto incidunt, nullis propemodum verbis  
satis reprehendendum. Dicit enim non potest, quo furore et odio ver-  
sus se invicem rapiatur id hominum genus, cum, si liceret, denti-  
bus se appeterent et oculos sibi invicem ungvibus effoderent rabio-  
sis, adeo ut earum quam maxime exemplis verba illustrentur, quae  
de mutua hominum inimicitia diserit PLINIVS: (q) *Leonum fe-  
ritas inter se non dimicat, serpentum morsus non petit serpentes, ne  
maris quidem belluae ac pisces nisi in diversa genera saeviunt. At  
berculè homini plurima ex homine (obstetrici ex obstetrice) sunt mala.*

§. XIII

Postquam igitur eos in praesenti perlustravimus obstetricum *De obste-  
errores, qui coram iudicio in perferenda rerum muliebrium tricum er-  
conditione occurrunt, ordinis nunc postulat ratio, ut paucis roribus*

E 3

tan-

(q) In prooemio Lib. 7. natural. Hist. Tom. I. p. 394.

(r) l. a.



*circa testi-  
monium  
de partus  
maturita-  
te.*

tantummodo dispiciamus, an et ardua illa de maturo et immaturo foetu doctrina aliqua ratione ad earundem valeat referri negotium. Equidem in rebus tanti momenti, et captu earundem maioribus, irrito cum successu obstetricum expectatur iudicium, cum de vitalitatis termino embryonis eruditos inter, et Medicos et Jureconsultos longo iam abhinc tempore disceptetur. Profecto latissime patet arduum hocce et diudicatu difficillimum argumentum, adeo ut tanquam curatori animadversione dignum praesentium paginarum angustia excludatur. Hinc eas, quae de partu septimestri legitimo, deque duodecimestri non suspecto, quem non ita pridem Vir magni inter anatomicos nominis defendere non dubitavit, moventur lites, nostras non facimus in praesenti, sed neglectis potius, quae a scopo nostro sunt aliena, in eo saltim occupamur negotio, ut demonstremus, quonam in casu ad foetum vel maturum vel immaturum definiendum obstetricum testimonium requiratur. Nimirum cum gravidarum opulentiae imprimis conditionis mos sit, ut a prima statim ingravidationis perceptione in consilium admittant obstetrices, iisdemque secretiora committant, unde et a ZACCHIA (\*) obstetrices gravidarum protomedicae appellantur, non possunt non illae quarumvis circumstantiarum, quae accidunt mulierculis hisce in statu graviditatis, exactam sibi acquirere cognitionem. Quodsi itaque ante legitimum partus terminum in lucem prodiiisse foetum existimetur, obstetricum omnino testimonium eo potissimum nomine desideratur, ut scilicet causas, quae adducuntur, casum nimirum, haemorrhagiam, animi pathemata, aliaque plura per iuramentum exhibeat et confirmet, quibus fortassis foetus ad exitum praematurum fuerit incitatus. Imo et aliquando ultra genuinum nascendi terminum moras egisse in utero embryonem, a mulieribus perhibetur, id quod in partu undecimestri et duodecimestri fieri observamus, qua in re exactius paulo investiganda ad

(\*) l. a. Lib. 6. Tit. I. Quaeft. 12. Tom. II. p. 515. n. 1.

(†) ff. Lib. 1. Tit. 5. l. 12. *Septimo mense nasci perfectum partum iam receptum est, propter auctoritatem doctissimi viri Hippocratis, et ideo creden-*



ad obstetricum denuo testimonium provocatur, ut nempe terminum impraegnationis, quem non raro indicant obstetrici, exponant, simulque morbos pronuntient, quibus delitescens in utero foetus ita fuerit debilitatus, ut promptius moliri egressum non valuisset. Jam vero et singularis quandoque incidit casus, qui ad sui ventilationem testimonio indiget obstetricis, ubi nimirum de vitalitate foetus paulo post partum extincti, haud exigui momenti quaestio agitur in foro. Cum enim non nisi partus legitimus, seu talis, qui non tantum iustis nuptiis, sed et tempore ad vivendum apto prodiit in lucem, sicque monstri et abortionis est expers, vel haereditatis acquirere iura, vel eadem transferre in alios valeat, quaeritur non raro a iudice, quamdiu septimestris vel septimestri iunior foetus vitam protraxerit post partum, et quanam tunc temporis vitalitatis exhibuerit signa. Quantumvis autem leges (r), HIPPOCRATIS suffultae autoritate, non nisi a septimo mensē legitimum et vitalem pronuntiant embryonem, nihilominus ramen cum non quovis in casu impraegnationis terminus sit manifestus, robur potius vitale attendendum esse non male existimant recentiores Iureconsulti (t), qui et quintimestrem aut sextimestrem, dummodo vitalitatis appareant documenta, pro legitimo declarare non dubitarunt. Proinde cum externus recens nati corporis habitus plerumque Medico relinquatur diiudicandus, ad ea imprimis annotanda et recensenda coram iudicio obstrictas se sentiunt obstetrices, quae ipsis in superstitē adhuc foetu animadvertere licuit, et a iudice tanquam ad decidendam litem necessaria desiderantur, utrum videlicet cum membranis suis integris prodierit infans, an vero earundem praecesserit ruptura, quanam infantis fuerit respirandi facultas, quales ipse ediderit vagitus, quae membrorum agilitas apparuerit et motus, in quibus omnibus et attendendis et denunciandis si vel negligentes plane, vel mañtiosas se exhibent obstetrices, gravissimi omnino erroris sibi contrahunt culpam. §. XIV.

*dedendum est, eum, qui ex iustis nuptiis septimo mense natus est, iustum filium esse.*

(r) Conf. CARPZOV. Jurisprud. Ecelesiast. Lib. 2. Tit. 13. Defin. 227. §. II.  
(u) Conf.



## §. XIV.

De errori-  
bus obstre-  
tricum  
circa casus  
quosdam  
peculiares.

Restant denique alii adhuc casus peculiares, quibus examinandis obstetricum quoque manus et oculi adhibentur, quos, cum ad classes superiores nullatenus valeant referri, coronidis loco brevibus tantummodo adnectere induxi in animum. Namque cum accidat aliquando, ut foeminea cadavera a maleficis et humanitate exutis hominibus violentur, obstetricibus tunc iniungitur munus, ut stuprati cadaveris genitalia perlustrent et genuina commissi sceleris indicia subministrant (u). Verum et morborum nonnullam speciem obstetricum examini committuntur in foro, si vel herniis laborent mulieres, vel venereis morbis ac impuris fuerint confpuratae, vel demum de uteri et annexarum partium affectibus conquerantur. Quantumvis enim interdum Medico Clinico exigente officium hoc praestent mulieres, ubi aegrotantium verecundia ipsius Medici inspectionem recusat, nihilo tamen secius et alio nomine, imperante nimirum iudice, huic negotio manus applicent obstetrices, quando nimirum vel divortii instituenti momenta, vel quoque declinandae interdum torturae argumenta a morbofo corporis habitu desumuntur. Quodsi igitur diffusum hocce et profundum admodum quis consideret obstetricum negotium, non dubito, fore, ut sua sponte prolixa se offerat errandi occasio, praesertim si cum iis, quae annotata sunt, perversam velit earundem indolem conciliare. Equidem non nego plures adhuc forsitan deprehendi errores, qui hac nostra tractatione allegati non sunt, sed facili quoque negotio veniam huius rei a lectore benevolo impetrabo, quod, sicut ampla peccandi materia vix definiri, ita nec omnes ac singuli obstetricum errores valeant enarrari,

*quorum si nomina quaeras,*

*Promptius expediam, quot amaverit Hippia moechos,*

*Quot Themison aegros autumnis occiderit uno. (x)*

(u) Conf. BOHNIVS l. c. Part. 2. c. 4. p. 598.

(x) IUVENALIS Satyra 10. Lib. 4. v. 219. seqq.

LITTERIS BREITKOPFIANIS.



















Uf 2421

(x228 1938)

ULB Halle 3  
006 306 438



vD18

W











*De  
Obstetricum Erroribus  
a  
Medico Forensi pervestigandis  
Consensu*

*Gratiosè Facultatis Medicæ Lipsiæensis  
d. 30. Sept. 1729.*

*h. l. g. c.*

*Pro loco  
disputabit  
Caspar Bose  
Phil. et Med. D.*

*Respondente  
M. Georgio Matthia Bose.*

